

ta tantum novasq; observationes emittet. Hæc quæ de conficiendis *Locis Communibus & Pandectis* diximus, ridebunt illi qui ignorant quid diligentia & ordo possint. Ego verò certus sum 30. homines opus hoc quantumcunque est, triennio absolvere posse. Sed quod rectè in alio argumento suasit *Janus Cæcilius Frey*, incipiatur ab autoribus vetustissimis ordine temporum, ut haberi semper ac consecrari memoriæ primus Inventor possit. Nisi verò quamprimum suscipitur negotium, vereor ne succrescente quotidie nova segete, ita oneretur denique suffoceturque inutili librorum mole Jurisprudencia; ut facilius nunc labor, omnem tandem humanam diligentiam vincat.

§. 91. Delineavimus *Ideam Jurisprudentiæ perfectæ*, absolvimusque quod difficillimum erat, magnitudinem rei vel votis assequi. Sequitur ut *viam grassandi ad ejus Adyta* designemus. Illic diximus quæ Doctori, hîc quæ discipulo

ne-